Q. D. B. V.

THESES MEDICÆ

VARII ARGUMENTI

QUAS

PRÆSIDE

DN. GEORGIO HENRICO EISENMANNO

PHILOSOPH. ET MEDICINÆ DOCTORE
ET PRACT. ANATOM. ET CHIR.
PROF. PUBL. ORD.

PATRONO, FAUTORE ATQUE PRÆCEPTORE
OMNI OBSERVANTIÆ CULTU PROSEQUENDO

SOLEMNI MEDICORUM EXAMINI

IN ALMA ARGENTORATENSIUM UNIVERSITATE

AD DIEM XII. MART. MDCCXXXVIII.

H. L. Q. C.

EXPONIT

JOHANNES MICHAEL BOEHM,

ARGENTORATENSIS

AUCTOR ET RESPONDENS.

Typis MELCHIORIS PAUSCHINGERI, Typogr.

20

Reverendiſſimo atque Celſiſſimo
ac Illuſtriſſimo Domino

DOMINO

JOSEPHO

S. R. I. COMITI
AB HOHENLOHE WALDENBURG,
DYNASTÆ IN LANGENBURG, BARTTEN-
STEIN ET PFEDELBACH,
SAC. CÆS. ET REG. CATHOL.
MAJ. CONSIL. IMPERIAL. AULICO,
METROPOLITANÆ COLONIENSIS, CATHEDRALIS
ARGENTINENSIS ET AUGUSTANÆ, NEC NON
ELVACENSIS CANONICO

DISSERTATIONEM HANC
IN DEVOTISSIMI ANIMI TESSERAM
D. D. D.

REVERENDISSIMÆ ET ILLUSTRISSIMÆ
CELSITUDINIS TUÆ

Devotiſſimus Cliens
J. M. BOEHM, Auctor.

§. I.

MEdicina ubivis terrarum aliqua ex parte fuit, nusquam tota, vel fuit, vel eſt; quamvis hodie in formam quandam ſit redacta.

§. II.

Initium Medicinæ erat Neceſſitas; Incrementum vero dedit, Experientia atque Ratio.

§. III.

Experientia enata eſt, é crebrioribus caſibus, atque obſervationibus rite inſtitutis, ad faciendam Medicinam ſumme neceſſariis.

§. IV.

Sed à ratiociniorum diverſitate, atque docentium ſubtilitate, inter eruditos altercandi pruritus ſubortus eſt, & ſectarum varius numerus; è quibus tamen antiquiſſima, & vix non uſitatiſſima eſt, Empirica.

§. V.

Sed ſi dicendum, quod res eſt, ea optima eſt, quæ pro fundamento habet methodum electricem, veram haud fucatam.

§. VI.

Medicina itaque Ars eſt atque Scientia, ſimul recte cognoſcendi & curandi; licet non ſemper effectus voto reſpondeat. Non minus enim docente FRID. HOFFMANNO *in Inſt. Med.* Medicus eſt, qui non ſanat, quam qui ſanat: ſatis eſt, ſi omnia præſtet, quæ ex arte præſtare debet.

§. VII.

Et licet à quibusdam conjecturalis vocetur, tota tamen conjecturalis non eſt; ſed ſolidis etiam nititur demonſtrationibus, firmisque regulis atque præceptis.

§. VIII.

Dividitur hodie in duas partes principales, unam Theoreticam, alteram Practicam. Hæc conſiſtit in ſanitatis præſentis conſervatione, & amiſſæ, ſeu morbis labefactatæ, reſtitutione; licet non ſemper totali, tamen partiali. Illa autem nititur, ſaniore Philoſophia, & verſatur in ſolida œconomiæ animalis cognitione.

§. IX.

Adeoque ars medica, dum ægrotos à pluribus morbis liberat, præ reliquis artibus, cujuscunque etiam ſint generis, magni æſtimanda eſt.

§. X.

Sanitatis oppoſitum morbus eſt; objectum Medicinæ eſt corpus humanum vivum, ſanabile: non autem corpora brutorum.

§. XI.

§. XI.

Corpus humanum Machina eſt Hydraulico-Pneumatica, & animæ habitaculum.

§. XII.

Anima quæ in homine rationalis, & una eſt, non patitur, dum corpus variis ægritudinibus, ac doloribus, afficitur.

§. XIII.

Actiones vero corporeæ fluunt à principio mechanico, nempe à natura corporis, hoc eſt à vi activa partium, tam ſolidarum, quam fluidarum, ſtructuræ harum partium convenienter agente; non vero ab anima: quamvis hæc in homine, variis motibus anomalis, & actionibus, occaſionem ſæpe præbeat.

§. XIV.

Unde Medici ut Medici officium non eſt, animæ eſſentiam penitus habere cognitam; dum ad morbos avertendos, aut curandos, hacce theoria adeo opus non habet, ut potius eandem Philoſophis penitus relinquere poſſit.

§. XV.

Ex eadem ratione, etiam in quo vinculum animæ cum corpore præciſe conſiſtat, non eſt, ut Medicus multum ſollicitus ſit.

§. XVI.

Multo minus in ejus ſedem vel locum, ubi illa uti ajunt, vires ſuas in corpus maxime exſerit, etiamſi à quibusdam in glandula Pineali, aut alibi, collocetur, religioſe ipſi inquirendum eſt.

§. XVII.

Interim tamen finis Medicinæ ſanitas eſt, theſaurus vitæ noſtræ pretioſiſſimus, quæ conſiſtit, in omnium functionum integritate; quem quidem Medicus varias ob cauſas, non ſemper aſſequitur, in morbis etiam per ſe haud incurabilibus.

§. XVIII.

Optimum autem ſanitatis præſentis indicium præbent, appetitus bonus, coctio, ſecretio atque excretio bona, juxta tritum illud, qui bene ingerit, bene digerit & bene egerit, ille eſt ſanus.

§. XIX.

Appetitus, qui nil niſi deſiderium cibi atque potus eſt, & in vellicatione quadam in ventriculo & faucibus conſiſtit, famem & ſitim excitat. Illa à moleſta irritatione, in ſuperiori potiſſimum ventriculi orificio, admodum ſenſili, ob particulas ſalino volatiles acres lymphæ gaſtricæ, & ſalivæ deglutitæ, tunicam nerveam ſtomachi moleſte vellicantes, oritur.

§. XX.

Coctio eſt alimentorum in ventriculo, mediante calore, cum ventriculi, tum partium adjacentium, imo ipſorum quoque ciborum, ut & mediante fermento, partim ex glandulis ventriculi exſudante, partim vero ſub nomine ſalivæ deglutito, ſpiritibusque animalibus vigorato, non excluſa leni quadam trituratione, à motu ventriculi periſtaltico dependente, in maſſam, ſeu ſuccum cremori ſimilem, redactio.

§. XXI.

§. XXI.

Operationi huic, fermentationis vocabulum ſatis apte quadrare videtur; dum maſſa ciborum in ventriculo diſſoluta, per motum inteſtinum ſuarum particularum activarum extenditur, atque in minutias ſatis exiles dividitur, ſubigitur, & in chylum convertitur, in omnes corporis partes una cum ſanguine diſtribuendum.

§. XXII.

Ad chylificationem abſolvendam, fœcesque ſeu particulas excrementitias craſſiores, à laudabilioribus partibus chyloſis ſeparandas; præter inteſtinorum periſtalticum, & muſcularem diaphragmatis & abdominalium muſculorum motum, maximum momentum affert ſucci pancreatici, bilis & lymphæ in glandulis inteſtinorum elaboratæ admixtio.

§. XXIII.

A ſulphureis & alcalicis particulis, chylus rudimentum purpuræ jam accipit in inteſtinis, ut eo facilius poſtea in ſanguinem converti poſſit.

§. XXIV.

Omnis chylus ex inteſtinis & vaſis lacteis, per ductum thoracicum tranſit ad cor. Ab adeo tenui fi o pendet vita noſtra.

§. XXV.

Cauſa ſecretionis diverſorum liquorum in corpore noſtro, eſt motus ſanguinis & impulſus ejus per arterias, ad cribra ſeu organa ſecretoria.

§. XXVI.

§. XXVI.

Hic motus duplex eſt: progreſſivus ſeu circularis, dum ſanguis ad idem principium unde venit, nempe ad cor, perpetuo redit; & inteſtinus, particularum ejus reciproca agitatio, & lucta inter ſeſe atque colliſio.

§. XXVII.

Uterque hic ſanguinis motus, ita neceſſarius eſt, ut neuter ſine altero, ſalva manente vita & ſanitate, diu ſubſiſtere poſſit.

§. XXVIII.

Ratio motus inteſtini, in reciproco motu corpuſculorum ſanguinis & aëris atque ætheris poſita eſt, quo vitalis hæc ſanguinis agitatio & miſtio continuatur, & partium glutinoſarum facilis cohæſio impeditur.

§. XXIX.

Motum inteſtinum, alter progrediens ſanguinis motus, adjuvat & conſervat. Dum preſſione ſanguinis à cordis & arteriarum contractione, attritio atque diviſio particularum minimarum ſanguinis, & vis agitatrix partium elaſticarum, tanto plus augetur, quanto magis ſanguis per vaſa majora, in minora, & ex his in minima, capillaria, adigitur.

§. XXX.

Uſus circulationis primarius, eſt vitæ corporis noſtri conſervatio, nec non totius corporis nutritio & vegetatio; ſecundarius vero, fluiditatis, caloris & mixtionis, ſeu craſeos liquorum vitalium ſuſten-

ſuſtentatio, inutiliumque & noxiarum particularum, ab utilibus ſequeſtratio & excretio.

§. XXXI.

Medium circulationis eſt aër, qui ampliato thorace, non per modum attractionis, uti quidam exiſtimant, neque etiam ob pulſionem ejus à dilatatione abdominis atque thoracis productam, ſed proprio pondere, pulmonum ſubſtantiam ſubit, eosque vi ſua elaſtica dilatat & expandit.

§. XXXII.

A ſanguificationis opere bene conſtituto, & inde enato laudabili ſanguine, multum quoque dependet ſeminis maſculini perfectio & prolis generatio.

§. XXXIII.

Generationem non fieri à commixtione ſeminis maſculini cum fœminino, extra omnem dubitationis aleam poſitum non eſt.

§. XXXIV.

Conceptio nihil aliud eſt, quam fœcundatio ovi fœminei, totius hominis lineamenta jam continentis, ab elaſticis ſummeque activis liquoris ſeminalis maſculini particulis, ovulo occurrentibus, hujusque poſtea per tubam Fallopianam, in uterum protruſi, ſuavis ab hoc receptio.

§. XXXV.

Ovula non quævis apta ſunt ad conceptionem, illud vero ab activis ſpermatis virilis particulis fœcundari poteſt, quod maturum, & bene conſtitutum eſt.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Semen mulierum ſtricte dictum, nihil aliud eſt, quam ipſum ovulum.

§. XXXVII.

Ova fœminea, in eo magis cum plantarum, quam cum animalium oviparorum ovis conveniunt, quod, quemadmodum plantarum ſemina ex terra alimentum recipiunt, ita quoque ovula humana, actis in uterum maternum radicibus, nutrimentum & incrementum inde hauriant.

§. XXXVIII.

Nec aliud diſcrimen eſt inter vivipara & ovipara, quam quod horum ova extra corpus mittantur, & omnem jam contenti pulli alimoniam contineant; illorum vero ovula, ex ovariis in uterum deponantur, ut ex hoc alimenta trahant.

§. XXXIX.

Sterilitatis ſexus ſequioris frequentiſſima cauſa eſt denegatus liquoris, ſive auræ ſeminalis, per tubam Fallopianam ad ovulum appulſus.

§. XL.

Doctrina temperamentorum, ratione cum diagnoſeos, tum etiam curationis morborum, magnam affert utilitatem.

§. XLI.

Verum quidem eſt, quod nullum detur temperamentum ſimplex ſeu purum; hinc etiam tot temperamentorum ſunt differentiæ, quot individuorum capita.

§. XLII.

Omne temperamentum quam maxime dependet à mixtione particularum ſalinarum, oleoſarum, aquoſarum & terreſtrium, ut & a diverſitate ſpirituum.

§. XLIII.

Ergo pro diverſitate miſcelæ & proportionis harum particularum, variat quoque præparatio & ſecretio diverſorum liquidorum in viſceribus, ut & confectio magis vel minus purorum mobiliumque ſpirituum in cerebro. Inde fit, ut univerſum genus nervoſum, & ſenſuum motusque organa, diverſimode afficiantur; ex quo fonte, ingeniorum quoque & morum viriumque corporis diſcrimen, haud inepte derivatur.

§. XLIV.

Aſpectus ſyderum & determinatus aſtrorum influxus, parum aut nihil facit ad mutationem temperamenti; quamvis in genere variatio aëris, quæ mutationes in corpore noſtro ejusque temperamento inducit, multum à ſolis ad æquatorem & tropicos acceſſu dependeat; prout ſcilicet ille radios ſuos magis perpendiculariter, vel magis oblique, ad hunc vel illum terræ tractum demittit.

§. XLV.

Ætates vero mutant temperamenta. Ætas autem partiale vitæ humanæ tempus denotat, in quo notabilis obſervatur mutatio, in aliis citius, in

aliis tardius ingruens; ita ut aliquis anno quinquageſimo majora ſenectutis ſæpe incommoda perſentiſcat, quam alius ſexageſimum annum agens.

§. XLVI.

Omnis vita maximopere dependet ab aëre, cibo ac potu; de poſterioribus notum eſt vulgi proverbium: **Eſſen und Trincken hält Leib und Seele zuſammen.**

§. XLVII.

Absque aëre nemo multum temporis ſupervivere poteſt.

§. XLVIII.

Aer, licet certo reſpectu vitæ ſit pabulum ſeu vehiculum; tamen ſæpiſſime peccat ſubſtantia & qualitate: & ob hæcce vitia corpori quam maximam infert noxam.

§. XLIX.

Id etiam de cibo atque potu intelligendum; addito ſimul utendi modo perverſo.

§. L.

Potus præferendus eſt cibo; & quo purior, eo melior æſtimandus.

§. LI.

Utplurimum ad ſitim ſedandam, ad cibos & ſuccos craſſiores diluendos, pro faciliori ciborum digeſtione & diſtributione, ut vehiculum quaſi fiat ipſius Chyli & ſanguinis, denique interdum ut ſimul nutriat, corque hominis lætificet, aſſumitur potus.

§. LII.

§. LII.

Damnoſius eſt in cibo excedere, quam in potu, quia potus, imprimis ſi generoſus eſt, citius vias ſuas percurrit & rurſus excernitur; ex nimio autem cibo aſſumto, cruditates pernicioſæ, vitiatæ coctiones, obſtructiones & mille alia mala in corpore oriuntur, quæ à potu non ita facile expectanda ſunt.

§. LIII.

Aqua pluvialis præſtantiſſima.

§. LIV.

Urinæ inſpectio Medico admodum neceſſaria eſt; quamvis hodie a multis, ſed male, penitus negligatur.

§. LV.

Urina ſerum ſanguinis excrementitium continet; ac nihil aliud eſt, quam lixivium particulis ſulphureis, ſalinis & terreſtribus ſeu tartareis imprægnatum.

§. LVI.

Duplex eſt; vel ſanguinis, vel potus.

§. LVII.

Diſtinctio hæc eatenus locum habet, quatenus à potu in majori copia aſſumto, atque hinc facta maiori preſſione ſanguinis verſus renes, & ſubſequente copioſiori filtratione & percolatione ſeri, urina paucioribus, imo pauciſſimis ſalinis ac ſulphureis particulis imprægnata, nulloque fere colore tincta, ſed inſtar aquæ limpidæ ſeſe habens

excernitur, & hanc ob rem urina potus vocatur. Quando vero hoc ſerum diutius & ſæpius unà cum ſanguine in circulum actum fuit, pluribusque particulis ſalinis & ſulphureis, nec non terreis imbutum, intenſiore inſuper colore & odore præditum evacuatur, urina ſanguinis audit.

§. LVIII.

Hinc patet ratio, cur illi, qui plus juſto bibunt, urinam aqueam & claram tandem excernant.

§. LIX.

Urinæ contenta, a regionibus vaſis in quo emiſſa urina aſſervatur, diſtincta, tria numerantur, nempe ſedimentum, ſuſpenſio ſeu Enæorema, & nubecula.

§. LX.

Sedimentum nihil aliud eſt, quam pars humorum crudior.

§. LXI.

E colore, nec non è pondere, odore atque ſapore urinæ, ſæpe certius de ſtatu hominis judicium ferri poteſt, quam è contentis.

§. LXII.

Urinam examinandi modus, per præcipitationem cum ſolutione aluminis inſtitutus, fallax eſt.

§. LXIII.

Craſſus vulgi error eſt, exiſtimantis, omnem cujuscunque morbi ſtatum & naturam, una cum futuro exitu ejusdem, ex ſolius urinæ inſpectione cognoſci poſſe.

§. LXIV.

§. LXIV.

Impprægnationem nonniſi ex urina inſpecta indagare, ridiculum eſt.

§. LXV.

Interim peſſimus hic mos, & divinatio ex matula, ita invaluit, ut vulgus potius agyrtas aliosque medicaſtros adeat, quam peritos & famæ ac conſcientiæ ſuæ conſulentes Medicos; dum ſibi perſuaſum habet, ejusmodi impoſtores exactiſſimam habere morborum cognitionem, nec ipſos falli poſſe, aut alios fallere.

§. LXVI.

Agyrtæ interdum morbos, diu in caſſum à Medicis tractatos, perſanant; magis quidem caſu quam arte; magis quoque per remedia, Galenica dicta, quam per medicamenta Chymica.

§. LXVII.

Remedia è regno vegetabili petita, utplurimum corpori humano magis amica ſunt, quam e Chemiæ penu deſumta.

§. LXVIII.

Præſtantiores etiam ſæpiſſime effectus expectandi ſunt à medicamentis indigenis; quam ab exoticis; teſtatur enim experientia, quamvis fere terram, ſpecificam contra morbos ſuos proferre medicinam.

§. LXIX.

Rhabarbarum tantam bilis copiam non evacuat, ac vulgo putatur; color enim flavus, quo poſt aſſumtum hoc purgans feces alvinæ tinguntur, rhababaro potius, quam bili adſcribendus eſt.

§. LXX.

Pilulæ, quæ vulgo cephalicæ dicuntur, magis totum corpus, quam ſolum caput, aut cerebrum, purgant.

§. LXXI.

Per ſalia omnes impuras ſordes evacuare velle, minus apta eſt methodus, cum non niſi ſolida ſtimulent, & humores viſcidos pituitoſos incidant; nequaquam vero omnis generis particulas noxias aut corrigant, aut per alvum eliminent. Hinc non poſſumus non decantata illa ſalia, nempe Sal Sedlicenſe, Sal ſic dictum Sel de Seignete, ſal vulgo Sel de Levante vocatum, e numero purgantium univerſalium expungere.

§. LXXII.

Remedia ſpecioſo titulo ſuperbientia, imprimis quæ ex auro conſtare dicuntur, non tam in ſalutem hominum, quam lucri cauſa inventa ſunt.

§. LXXIII.

Similiter quæ per ſympathiam operationem ſuam peragere creduntur, raro exoptatum effectum præſtant. Hinc aut nunquam, aut non niſi debita adhibita cautela, in uſum trahantur.

§. LXXIV.

Curatio morborum per characteres appenſos, efficax quidem interdum, ſed vix durabilis eſt; potius magica aut ſuperſtitioſa dicenda, & Chriſtiano Medico indigna.

FINIS.